

quosdam omnia dirigitur, sed per Antonomiam, ac proprie lex vocatur regula humanorum actuum à Deo, vel ab homine tradita, quæ ipsam ad verum, ac ultimum finem, aut ad commune bonum dirigit. licet propriissime, & per se illa tantum Regula dicatur Lex, & vera Lex, quæ hominem ad suum finem, ac verum, ultimumque bonum dirigit, nempe ad Deum, & hæc est lex divina, cujus participatione civilis regula, quæ eundem hominem ad commune, & civile bonum instruit, lex vocatur. Sciens autem, ac volens silentio præteribo hujus nominis legis deductionem, præterquam quod enim plura de ea re passim apud plures Doctores occurrunt, qui de legibus scripserunt, videor mihi nonnulla in superioribus quæstionibus attulisse, quæ pro nunc sufficiant.

Hic porro per legem accipimus utramque regulam, secundum quam homo vel ut civilis persona, vel ut ad ultimum suum finem destinatus ex Dei, aut hominis præcepto vivere debet, illud autem ex his certissimum sit, legis nomen accipi debere, ut quid omnino à legali facultate distinctum, ac per se existens, tanquam opus quoddam ab arte relictum, quod licet ab arte proficiscatur, & secundum artem sit, non tamen ipsam ars est, seu artifex: nam lex divina opus est divinæ sapientia, civilis autem humanæ, nempe scientiæ Politicæ, veluti statua statuarie, & sanitas Medicinæ, & hoc pacto non aliter lex à legis peritia, & ab ipsa quoque Politicæ distinguitur, quam statua à statuarie, & sanitas à Medicina. unde constat neque artem esse legem, neque scientiam, sed opus quoddam scientificum, aut artificiale Politicæ facultatis, atque hac ratione semper hic à nobis legis nomen accipiendum, contra quam eveniat apud Iureconsultos, & alios, apud quos perperam pro ipsa legali scientia, nempe Politicæ, aut, quod magis ab re est, pro ipsa Iuris peritia accipitur; cum tamen lex à legum peritia, & Legum peritia à Politicæ, & Politicæ à Lege, non aliter differat, quam statua à statuarie, & statuarie à marmoraria, & marmoraria à statua, aut non fecus quam differat figura depicta ab ipsa arte pingendi, & ars pingendi à coloraria, & coloraria ab ipsa figura delineata; nam scientia Politicæ leges parit, leges autem Iuris peritiam.

Idem error, qui intervenit in legis nomine, locum quoque habet in Iuris scientiæ, Iuris prudentiæ, Legum peritiæ, & Iuris peritiæ nominibus. accipiuntur enim omnia indistincte, & indifferenter ab ipsis Iureconsultis præcipue pro duabus facultatibus inter se toto cœlo differentibus, ac profecto non videtur ab eo errore immunis fuisse Vlpianus in l. Iustitia ff. de Inst. & Iur. in qua Encomium potius, quam definitionem Iuris prudentiæ tradidit, dicens, Iuris prudentia est divinarum, atque humanarum rerum notitia, iusti, atque iniusti scientia; neque constat quid vere definire voluerit, Politicam, aut Iuris peritiam, nam neutri applicari ea definitio potest; utrum autem applicari possit Politicæ, pro nunc determinare non curo; quod Iuris peritiæ aptari non possit, patet, si ea, quæ superioris quæstione retulimus in memoriam redigantur, neque enim est notitia divinarum, aut humanarum rerum, cum ad eam non pertineat eas cognoscere, neque est iusti, aut iniusti scientia, quia neque omnino iustum, aut iniustum est ipsius subjectum, neque rem per causam cognoscit, cum tantum facultas

sit, ut ex superioribus patet, quæ ex recta legum intelligentione emergentes lites dirimere apud Iudicem contendit, aut si facultas, quæ secundum universalem legum dispositionem particulares hominum actiones apud Iudicem tuetur, nam quicquid novit ex regulis, & canonibus habet, per quos leges sunt late, huiusmodi autem habitus dicitur proprie peritia, non scientia, ut optime singillatim de Iuris peritia verba faciens demonstrat ex nostris Hieronym. Capivacc. de differ. doctrin. cap. 2. prope finem. Neque hæc facultas, ut dixi, de divinarum, aut humanarum rerum natura causas, aut principia perscrutat, neque item est iusti, aut iniusti scientia, cum causam non reddat, cur hoc sit iustum, illud iniustum, nisi quod sic à lege dispositum inveniat, quod vero secundum legem est iustum dicitur, iniustum, quod contra legem. licet præter justitiam legalem alia sit potior Iustitia quædam, de qua aliàs, ita ut Iuris prudentia præterquam quod non est eo modo accepta Iusti, aut iniusti scientia, non omne iustum, aut iniustum pro subjecto habeat, ut jam dixi.

Quemadmodum autem huiusmodi facultatum, & operum ab iis emanantium nomina inter se tantopere differunt, sic etiam professores inter se differre tam certum est, quam quod certissimum; nam legi scriptæ, vel alio modo late, operi nempe scientificæ à Politicæ emananti, respondet lex viva ab æterno, ac sapientissimo Politico Deo emanans. Politicæ facultati correspondent Politici, & legum conditores; Iuris peritiæ vero Iuris periti, unde cum de dignitate hominum, professorumque quicquam requiritur ad erandem scientiarum, & facultatum, ac scientifici operis adminiculum id erit statuendum; cum maxime inter Politicum, & Iureconsultum. Politicus quidem legem condit, quantum ad ipsum spectat, in universali, Iureconsultus condit legem particularibus hominum actionibus accommodat, Politicus constituendo leges innititur Moralis Philosophiæ principijs, ejus nempe partis, quæ Activa dicitur, quorum principiorum virtute varias leges condit pro Populorum, Civitatum, Regnorum exigentia, innovat pro hominum malitia, abrogat pro de novo emergentium necessitate, mutat pro temporis opportunitate. Iuris peritus nihil horum agit, sed tantum in constituturam legum recta perceptione insistit, ut quam maxime fieri potest, secundum eorum mentem, & dispositionem particularium casuum decisionem, à Iudice reporter, ita ut Politicus opus construat, Iureconsultus constructo opere utatur, eo modo, quo diximus.

Nomina quoque Philosophiæ, & Medicinæ veniunt distinguenda, nam Philosophia quidem scientia est rerum naturalium, cujus multe sunt partes, & quarum una medicina est, & maxime speculativa; & licet realiter Medicina à Philosophia distinguatur tanquam pars à toto, ita ut Medicinam nominantes non intelligamus eam pro scientia omnium rerum naturalium, sed quarundam, nempe earum, quæ ad humani corporis salutem tuendam, & recuperandam spectant, tamen medicinæ nomine partem non factivam tantum, sed speculativam quoque comprehendimus. & licet hoc quoque medicinæ nomine abutatur, comprehendentes per illud quamlibet medicinæ partem etiam mechanicam, & sordidam, tamen hic medicinam accipimus in vero, & propriissimo sensu,

sentu, pro facultate scilicet, quæ res naturales considerantur in ordine ad sanitatem corporis humani; hoc enim pacto non solum Philosophiæ pars est, sed ipsissima Philosophia: quomobrem & Medici nomen stricte hic accipiendum, nempe pro Medico, qui Philosophus est, cum vere Medici nomine dignandus non sit, nisi idem sit Philosophus; & licet pro Philosopho intelligamus illum, qui rerum naturalium scientiam habet, etiam Medici non sit, pro Medico hic maxime non intelligimus illum, qui mederi novit, nisi sit Philosophus, sed eum, qui cum scientia rerum naturalium conjunxit scientiam medicinæ; hic enim Medicus proprie est, cæteri improptie, & per abusum Medici nominati, atque hunc quidem cum Iureconsultis comparare intendimus, nam solus ad causam venit, cæteri Medicis, vel potius pseudomedicis omnino fecedentibus, atque hoc pacto de nominibus, quæ in quæstionis processu occurrere debent, sciendum, quod non reclamantibus Iureconsultis factum volo; si quam enim difficultatem afferre in medium eos sensero, pro viribus ei satisfacere conabor.

S V M M A R I V M.

- 1 Honor debetur virtuti, & civi.
2 Bonum unum altero majus, quando est magis excellens.
3 Bonum commune majus bono privato.
4 Bonum magis necessarium dicitur majus bono minus necessario.
5 Bonum magis appetibile majus est, quam bonum minus appetibile.
6 Illa virtus est alii preferenda, quæ majoris boni est effectiva prima, & per se.
7 Sanitas bonum est animo, & corpori communi.
8 Lex supra omnes virtutes, omnesque scientias est honoranda.
9 Deus tanquam lex viva supra omnia honorandus, debuit homines qui magis immediate ipsam primam legem vivam representant.
10 Philosophia Politicæ anteponenda.
11 Totum est melius, & excellentius sua parte.
12 Pars continetur in toto.
13 Philosophus Politicæ præcedere debet.
14 Politicæ medicinæ antepreferenda.
15 Politicæ ant debet præcedere Medicum.
16 Iuris peritia longe abest à Philosophiæ dignitate.
17 Medicina Iuris peritiæ anteponenda.
18 Bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum.
19 Bonum emanans à Medicina est magis necessarium ad consequendam salutem, quam bonum emanans à Iuris peritiâ.
20 Bonum emanans à medicina est per se appetibile.
21 Iuris peritia non est boni intenti causa per se.
22 Medicus, ut Medicus Iureconsulto anteponeatur.
23 Bonum emanans à Iuris peritiâ est bonum particulare.
24 Iudex non exerceat Iustitiam ut Iureconsultus, sed ut representat legem vivam, ejusque potestatis saltem est participes.
25 Anima est præior corporis.
26 Illa scientia nobilior, quæ habet nobilior subjectum.
27 Finis legalis scientiæ est conferre bonum publicum.
28 Illa scientiæ nobilior, per quam humana vita melius disponitur.

- 29 Illa scientia est nobilior, per quam homo sit magis obediens Deo.
30 Iuris prudentia est divinarum, & humanarum rerum cognitio.
31 Lex est donum Dei.
32 Medicus non est majoris valoris quam obstetric.
33 Scientia legalis est nobilior Medicina, quia faciliiori modo acquiritur.
34 Illa scientia est nobilior, quæ parit nobilitatem effectivam.
35 Per scientiam legalem illuminatur mundus.
36 Legalis scientia prodest universis.
37 Sacerdotes præferuntur Laicis.
38 Doctores Iuris sunt tanquam sidera in cælo.
39 Omnes aliæ artes sunt vilissima respectu Iuris prudentiæ.
40 Facultas legalis dicitur Thesaurus.
41 Doctoratus medicina conceditur Iudicis.
42 Notarius præfertur Medico.
43 Doctor Iuris præfertur apud leges Doctori Medico.
44 Iuris prærogantur loco Dei.

Decidenda quæstionis ratio ostenditur. Objectis in contrarium respondetur.

Q V Æ S T I O VIII.

Quæstionis hujus decidenda rationem commensurare non ut Iudici mihi licere exopto, sed ut ingenuo viro pro veritate ea in medium afferenti, quæ ad verum litis iudicium promulganda faciunt. diximus ergo in hujus Tituli principio, Honorem deberi virtuti ex eo quod sit boni alicujus effectiva, idcirco enim virtus dicitur bonum honorabile Aristot. Magnorum moral. lib. 1. cap. 3. unde cum omnes virtutes non sint uno modo honorandæ, sed una altera magis, certe illa magis honorari debet, quæ majoris boni erit effectiva. D. Thom. 2. 2. quæst. 117. artic. 6. in corpore circa quod notandum primo, quod unum bonum tanto potest esse majus altero, quanto est magis excellens, sic bonum animi majus est bono corporis, & bonum divinum majus, quam bonum civile, unde majus etiam bonum est, quod emanat ex vita contemplativa, quam quod emanat ex activa. D. Thom. 1. 2. quæst. 2. art. 5. & 2. 2. quæst. 134. art. 3. & ibid. quæst. 152. art. 2. ad 4. & sic virtutes quæ ordinant in bonum divinum, quia est majus, hoc est magis excellens, aliis virtutibus præferuntur, D. Thom. ubi supra, quæst. 117. artic. 6.

Secundo, bonum, quod est magis commune, est majus, quam quod est minus commune; atque hoc pacto bonum civitatis majus est, quam bonum particularis alicujus familiæ, & bonum totius familiæ majus est, quam bonum individui, & sic inter virtutes Iustitia, quæ ordinatur in bonum commune honorabilior est, quam liberalitas; quæ tendit ad ordinandum propriam alicujus individui actionem circa possessionem, & usum pecuniarum, D. Thom. loco citato.

Tertio, unum bonum est majus altero quando est magis necessarium ad majus aliquod, aut superem bonum assequendum, atque hac ratione majus

majus bonum est quod resultat ex lege divina, quia magis necessarium ad consequendum aeternum bonum, quam quod resultat ex civili. eodem quoque pacto majus bonum est quod resultat ex iustitia, quam quod ex Temperantia, quia magis necessarium illud & ad salutem assequendam, quam hoc, per bonam enim emanans à Iustitia assequimur omnes alias virtutes, non sic autem ex bono, quod emanat ex Temperantia.

5 Quarto, bonum quod est magis appetibile, est majus, quam minus appetibile; nam bonum majus necesse est, ut sit magis desideratum, Arist. 12. *Metaph. tex. 12.* loquor autem de appetitu rationali, & sic felicitas est majus bonum, quam sanitas, cum enim felicitas contineat in se cetera omnia bona praesentis vitae, magis appetibilis est, quam ipsa sit sanitas; & sic bonum simpliciter est majus, quam bonum secundum quid.

Secundo, notandum quod illa virtus est praefertenda, quae bonum à se emanans causat primo, & per se illi, quae simile, aut par bonum causat non primo, & per se, sed ex consequenti, ut, exempli gratia, Liberalitas, ita asserente D. Thom. *ibid.* licet primo & per se tendat ad ordinandum Liberalis propriam affectionem circa possessionem, & usum pecuniarum, tamen ex consequenti tendit etiam ad bonum commune; sed iustitia tendit primo, & per se ad bonum commune; erit ergo iustitia honorabilior, quam Liberalitas; quod est secundum verba D. Thom. *loc. cit.*

7 Tertio, notandum sanitatem non esse tantum bonum corporis, quam animi, non solum inquam, quia animus moraliter dicatur infirmus, & sanitate orbatus, cum vitis inquinatur, & tunc sanitate frui, cum vitis caret, & secundum virtutem operatur, sed quia physice ipsa sanitas corporis etiam animi sanitas est, ex bona enim corporis dispositione animus actiones suas facilius efficit bonas, & naturaliter bonas meliores, contra autem ex mala ipsius corporis dispositione suas actiones; quantum est ex hoc, non ex necessitate, pravas efficit, & naturaliter pravas peiores, praeterquam quod dantur etiam morbi quidam animi peculiare, quod est notissimum. Itaque medicina cum proponit sibi pro fine sanitatem, non intendit solum sanitatem corporis, sed etiam animi, & idcirco dixerim ego subiectum medicinae non esse corpus humanum, ut sanabile, sed hominem, ut sanabilem, quia & animo, & corpori medetur, non minus quam Moralibus Philosophia, cum hac tantum differentia quod medicina animo sanitatem procurat per sua instrumenta removendo impedimenta, quae malos mores homini conciliari possunt, Moralibus autem Philosophia introducendo habitus virtutis convenienti institutione.

8 His praebatis videtur dicendum primo, Lex licet neque virtus aliqua sit, neque scientia, sed opus quoddam intellectualis virtutis, & Politica facultatis, si de civili loquamur, si de divina autem, opus sit quoddam divinae sapientiae, tamen supra omnes virtutes, omnesque scientias est honoranda. nam bonum, quod emanat à lege, maxime divina, est quolibet alio bono magis excellens, quia est divinum, & aeternum, est item magis commune, cum lex proprie respiciat, & causet bonum commune; est etiam magis necessarium, quia absque lege nihil boni adipisci licet, nam privatio legis divinae privat homines acquisitione boni divini, &

privatio Legis Civilis privat homines bono communi, & civili, ad cuius acquisitionem ipsa lex supra omnia est necessaria; & propter haec omnia bonum emanans à lege est etiam magis appetibile, quod bonum ipsa lex causat per se, & immediate, non ex consequenti, aut per aliud, est ergo magis honoranda, quam cetera omnia. Quibus alia adiungitur ratio, cur Lex supra omnia honorari debeat, & est; quia necesse est illam dominari, nihil enim adeo, ut leges recte positae in civitate dominari debent. Aristot. *lib. 3. Polit. cap. 7.* quae autem dominantur praecedere ea ex Platone debent, quibus dominantur, quod si optimi homines ceteris praere debent, ut ex eodem Platone alias dixi, certe Leges, quia multo magis, quam optimi homines conducunt, Card. *lib. 1. de Sapient. transf. med. praer omnibus honorandae; unde recte à Pindaro lex vocata est hominum, Deorumque Regina l. Nam & Demosthenes. ff. de Leg. Plutarch. de doct. Princ. Caius Rhodig. lib. 18. cap. 19.*

Quod vero de Lege muta diximus, multo magis locum habet in lege viva, ac primo, & principaliter in Deo, qui vera lex est, versusque Legillator, Deus enim supra omnia ita est honorandus, ut illi in honore non solum nulla res, aut creatura praere debeat, quantacunque sit, sed neque ullo modo comparari. Secundo habet locum haec conclusio in omnibus supremis potentatibus, qui legem vivam, ipsam nempe Deum representant immediate, ut Pontifices summi, ac supremi Reges, & qui ab aliis creaturis independentem potestatem habent. Tertio habet locum etiam in minoribus Principibus, & Potentatibus, qui à Deo quidem mediate, à summis Potentatibus immediate dependent. Quarto se extendit etiam ad quascunque personas, quae legem vivam aliquo modo representant, nempe ad eos, qui à superioribus Potentatibus, aut Principibus ad iudicia impartienda ceteris hominibus destinantur participes facti ejusdem potestatis, quam ipsa lex viva foretur; hinc enim omnes vitae legis loco colendi, atque in honore ceteris personis praere debent, facta distinctione inter ipsos secundum eorum dignitates, & gradus, ut patet.

Secundo videtur dicendum, quod compatatis scientiis, & facultatibus inter se, primo loco Theologiae tributo, Philosophia cum Politica deinceps comparata, absque dubio Philosophia secundum locum à Theologia teneat, & Politica praefertur, quod non solum procedit, si universalem Philosophiae scientiam tanquam totum quid accipias continens sub se varias partes, & inter eas Politicam, in qua re non est dubium, quia totum est melius, & excellentius sua parte; nam totum est perfectum, cum illi nihil desit, Aristot. *lib. 3. Physic. textu 63. & sequenti.* & pars continetur in toto. *in toto. ff. de Reg. Jur.* unde si quid habet boni ipsa pars, hoc ipsum habet & totum, sed procedit etiam ipsi divisi eas scientias accipias, ac singulas tanquam unum totum per se, segregata à Philosophia ipsa Politica, quia Philosophiae bonum est magis excellens, est enim secundum majorem sui partem scientia speculativa conducens nos ad veritatis cognitionem, & ad affectionem felicitatis, quae etiam & ad acquisitionem quarumcumque virtutum moralium, ut de quacunque scientia speculativa dicitur Alexandro Averr. *in Probop. l. lib. Rhyssic.* Politica autem est scientia practica, & consistit

stit in operatione; deinde abstrahendo Politicam à reliqua Philosophia morali, certe reliqua moralis in eo excellenter est, quod hominem multo melius ad omnem virtutem instruat, quod non facit Politica, quae tamen in eo quod respicit bonum commune anteaferri digna est. sed eodem modo si Philosophum cum Politico comparare libet extra communitatem sumpto, vel in communitate, in qua Politicus actu regimini non sit destinatus, Philosophus debet praecedere, non tantum quia & ipse Politicus est, & potest quodcumque etiam ipse regimini invigilare, imo & leges tradere, cum videamus legislatores omnes summos Philosophos fuisse, ut alias dixi, sed etiam quia potest multo majoris boni Philosophus causa esse docendo populos vitam virtutis, & veritatis investigationem, viamque ad invenendam veram felicitatem. cum autem Politicus praestet, tunc Philosophum cedere necesse est ob rationes alias allatas.

14 Tertio videtur dicendum, quod comparata Politica, & Medicina ab ipsa Philosophia abstracta inter se, Politica sit praefertenda. ratio est primo quia Politica habet pro fine bonum commune pro ut tale, & sub ratione universalitatis, Medicina autem quamquam aliquo modo potest dici habere pro fine bonum universale, non habet tamen illud sub eadem ratione, nec ut tale, sed ut particulare. neque valet contra hoc quod objicit Peregrin. *advers. Med. Calumn. pag. 175.* quod etiam medicina bonum publicum pro fine habeat, & ut tale respiciat, curando, exempli gratia, Reges, Imperatores, Pontifices, personas publicas, patresfamilias, (addamus & nos integras Civitates, & Provincias, ut quando eas à peste, epidemicisque morbis liberat, aut praeservat) quarum incoluntiam in bonum universale redundat, quia hoc est per accidens; per se enim Medicus habet pro fine particulare hujus, aut illius bonum, nempe sanitatem, per accidens autem sit, ut sanitas hujus, aut illius redundet in bonum publicum. magis afficeret illud quod diximus de liberatione Civitatum, & Provinciarum à peste, aut alio quopiam morbo Epidemico, quia vere tunc Medicus habet pro fine bonum publicum.

Secundo quia bonum emanans ex Politica, quae est regnorum, ac Civitatum rega gubernandi ratio per optimarum legum positionem, est magis necessarium ad consequendum commune bonum, quam bonum emanans ex medicina, non autem ex eo quod Politica constituendo leges animos curret, Medicina autem corpora, quia & ipsa Medicina non solum animos curat, sed multo magis, verum Medicina particularem curam perficit, Politica universalem animorum institutionem respicit in iis, quae ad leges spectant, & civili homini conveniunt.

15 Sed quod de Politica, & Medicina diximus, dubium est, an locum habeat inter Politicum, & Medicum. ratio est, quia Politicus non immediata causa est boni communis ex legumlatione emanantis, quia quantumvis Politicus leges constituat, nullum illae sortiuntur vigorem, neque ullum bonum ex illis emanare potest, nisi illis à Rege, Imperatore, aut Pontifice vis legis concilietur, nam lex quidem non Politici, sed Principis opus est, Plutarch. *de doct. Princ.* Suarez *de Leg. lib. 3. cap. 4.* apud quem capite etiam 9. videnda permulta ad hanc rem facientia. cum ergo Politicus non primo, & per se causat bonum commune, certe in hoc

Medico cedit, qui per se primo, & principaliter causat in homine animi, & corporis sanitatem, quantum artis potentia sese extendit, unde est, quod Medicus dogmata Medica, & alia permulta in Medicina mutare potest pro oblata occasione, at Politicus, & multo minus Iureconsultus Leges mutare non potest. Augustin. Barbof. *in Colleanea Doctor. Tom. 2. tit. 7. cap. 5. num. 2.* ex nostris Roderic. à Caltr. *in Medico Politico lib. 1. cap. 12.*

Quarto videtur dicendum, quod comparata Iurisperitia cum Philosophia (memor semper, quomodo accipienda sit Iurisperitia) longe abest illa à Philosophiae dignitate, tum quia à Philosophia emanat bonum magis excellens, magis universale, magis necessarium ad majoris boni affectionem, magis item appetibile, tum etiam quia Philosophiae bonum causatur ab illa per se, primo, & non per aliud, neque ex consequenti. quae omnia patent ex superioribus; nec quemquam credo posse hoc controvertere, quia dato etiam quod Iurisperitia, & Politica sint unum quid (quod longe à vero abest, ut probavimus) tamen erit hoc etiam pacto Iurisperitia Philosophia inferior, ut de Politica probavi, non solum quia erit pars, cum Philosophia sit totum, sed quia quicquid potest Politica, potest etiam Philosophia.

Quinto videtur dicendum, quod comparata eadem Iurisperitia, nempe quae proprie Iurisperitia dicitur, cum medicina, ipsa medicina sit praefertenda primo, quia bonum emanans à medicina est magis excellens, quam quod emanat à Iurisperitia, quia bonum, quod à Medicina procedit multo magis respicit veram felicitatem, quam bonum, quod procedit ex Iurisperitia: à medicina enim emanat sanitas, quam ad felicitatem magis conferre non est dubium, & maxime cum ab ea procedat sanitas Animi, & corporis. de sanitate autem Animi non est dubium, quod est bonum magis excellens, quam alia quaecunque bona hominis propria. de sanitate vero corporis patet, quia bonum corporis praeminet bono exteriorum rerum. D. Thom. 2. 2. *quest. 17. art. 6.* Iurisperitia ergo tuetur quantum est ex se (nam in causando aliquod bonum five particulare, five universale non est in censu alicujus generis causae, nisi forte impulsivae) bona exteriora, nempe divitias; ergo medicina, quae tuetur sanitatem, quae est bonum corporis, dicitur causare majus bonum, quod vero medicina causat etiam animi sanitatem abunde post Galenum *lib. de cognosc. curand. Anim. morb. & lib. 1. de san. tuen. cap. 8.* probatum est à perisque Medicis, & signanter à Daniel. Hierd. *libell. ad hanc rem dicit.* Goyneus *tratt. Quod Med. Iurisperit. praeced.* Canonher. *in proleg. ad Aphor. Hippocr. pag. 11. vers. Medici non solum. & ex Iureconsultis Tiraquell. de Nobil. cap. 31. num. Carrar. de Med. par. 1. nu. 55. & 72. & alii.*

Secundo quia bonum emanans à medicina est magis necessarium ad consequendam felicitatem, quam bonum emanans à Iurisperitia, quia sanitas praer omnibus exterioribus bonis est ad felicitatem consequendam necessaria; & ob hoc, divitiae ad sanitatem ordinantur, non sanitas ad divitias, D. Thom. 2. *quest. 2. art. 5. ad primum.*

Tertio quia bonum emanans à medicina est appetibile per se, magis ergo appetibile, quam bonum emanans à Iurisperitia, quod est appetibile in ordine ad alia, non per se: nam divitiae per se bonae

non sunt, sed quatenus per ipsas aut voluptates, aut sanitatem, aut honores, aut aliud quodcunque bonum consequimur, cum ergo artificiales divitiæ, quæ maxime sunt materia, circa quas versatur Iurisperitia, ordinentur ad naturales, & naturales ad hominis sustentationem, certum est, non esse quid appetibile per se, ut optime explicat D. Thom. ubi supra art. 1.

21 Quarto quia Iurisperitia non est causa boni intenti per se, imo neque est ejus boni ullo modo causa nisi per accidens; Medicina vero causat bonum intentum per se. nam per se quidem medicina introducit, aut conservat sanitatem. at Iurisperiti non per se conservat divitiæ clientis, hoc enim ad Iustitiam spectat, quæ reddit unicuique suum, Iustitia autem à Iudice administratur tanquam lex viva, aut habens potestatem à lege viva, & ejus vicem representans, quamobrem non facit hoc ut Iureconsultus, quia etiam si non sit Iureconsultus Iustitiam administrat, si legis vivæ potestatem habeat. Cum ergo bonum emanans à medicina tanroper exuperet bonum emanans à Iurisperitia in excellentia, in necessitate, in appetibilitate, & præter hæc causet bonum intentum immediate, & per se, Iurisperitia autem bonum à se intentum causet per aliud, patet quod medicina Iurisperitiæ debeat omnino præferri, quod non solum procedit, ut vult Leonell. de Præced. Hom. quæst. 9. art. 9. & 11. quatenus medicina continet contemplativam, sed etiam quatenus est factiva ob prædictas rationes.

22 Ex quibus videtur dicendum sexto, quod medicus, ut medicus, non ut Philosophus (nam de hoc ex superioribus non est dubitandum) Iurisperitum præcedere debeat, quia Medicus majoris boni causa est in communitate, quam Iureconsultus, ut ex dictis patet; procurat enim Medicus, & introducit, ac parit, quantum sese sua facultas extendit, Populorum, & hominum sanitatem per se, Iurisperitus autem nullum bonum in communitate causat per se, & immediate, sed tantum per alium, & mediate; imo vix dici potest ullo modo causa esse boni, quod intendi à sua facultate existimat, si recte, & animi passione quacunque remota, rei natura ponderetur, sed Iurisperiti putant ex eo, quod à Iudice dependet Iustitia, & Iurisperiti in Iudices constituuntur, Iustitiam à Iurisperitia dependere, quod falsum esse satis superque per ea quæ attulimus, ostenditur. ac certe si exemplo per eos uti mihi in hoc liceat, facilius hoc ipsum demonstrabo. afferam autem illud Sepiasarii, & Medici: nam Sepiasarius herbas, radices, aliaque simplicia colligit, ex quibus Medicus relictis quæ ad rem suam non faciunt, & medicamentis compositis, eisque infirmo oblati sanitatem amissam recuperat, eodem modo Iurisperitus ex constitutis legibus seligit ea, quæ ad particularem aliquam hominis actionem tuendam apud Iudicem sunt apta, ipsique Iudici anteponit, tum Iudex rejectis quæ ad rem non faciunt, secundum ea quæ ad rem faciunt Iustitiam exequitur, quemadmodum ergo ad sanitatem causandam parum quid operatur Sepiasarius, imo nihil, & maxime cum herbas colligit, quæ ad medicamenta componenda non sunt aptæ, & si quid operatur, operatur tantum mediate, & per accidens, non immediate, & per se, sic profecto Iurisperitus in exercendo actus Iustitiæ nihil omnino per se, & primario, sed per alium, & se-

cundario operatur, neque ullo modo dici potest causare Iustitiam.

Sed dices, nonne ad Rempublicam, & ad bonum commune spectat, ut suum unicuique tribuatur? at hoc sibi pro fine proponit Iurisperitia, quomodo ergo negabimus, eam non intendere bonum commune? si ergo intendit bonum commune, præferenda medicinæ est, quæ intendit bonum particulare. at ego falsum esse respondeo, quod Iurisperitia intendat ut suum unicuique nempe omnibus hominibus tribuatur, quia intendit tantum, ut suum tribuatur (imo etiam quod suum non est) huic, aut illi personæ, unde dato quod aliquod bonum ex ea emanet, non minus magis huic, quam bonum emanans à medicina, quia Iurisperitia tueri studet famam, vitam, divitiis particularium hominum, nam iudicia sunt de particularibus hominum actionibus. oporteret autem Iurisperitiam intendere ut suum non magis huic, quam illi tribuatur, sed cui debetur; hoc autem ad Iudicem spectat, non enim magis uni, quam alteri favet, sed indifferenter omnibus. Iurisperitia vero difficeret se salvare potest, quin simul, & semel & pro Iustitia, & contra Iustitiam defatigaret.

Et si de novo instes, quod Iudices sunt ipsi Iureconsulti, unde patet Iureconsultos exercere Iustitiam, & per se esse causam communis boni in communitate, jam ego superius respondi, Iudicem non exercere Iustitiam, ut Iureconsultus est; sed ut lex viva habens potestatem à superiori domino, nam & absque eo quod quis sit Iureconsultus potest representare legem vivam, & Iustitiam exercere, si à superiori principe ad hoc delegetur, ut in dies evenire videmus in electione Proregum, & Præsulum Provinciarum, aliorumque majorum officialium, qui aut non sunt Iureconsulti, aut per accidens, non quod de necessitate ad Iustitiam ministrandam Iureconsulti esse debeant. itaque Iudex, ut Iudex, non ut Iureconsultus Iustitiam administrat.

Sed remanet tandem satisfaciendum nonnullis argumentis à Iureconsultis in sui defensionem allatis, quibus etiam plenissime satisfecerint plerique Medici, tamen & ipse ab hoc non desistam, ne mancus in hac parte fuisse videar. illud tamen ante omnia præmonebo, argumenta Iureconsultorum prout ab ipsis afferuntur, nullis omnino mutatis verbis, me allaturum, quod ideo dico, ne lector animadvertens terminorum varietatem, & conclusionum fallaciam, eam mihi vitio vertat, illi enim vix ex multis unum, aut alterum argumentum in forma probabili norunt afferre; delinam autem eorum formam à Cassaneo, & Tiraquello. primum ergo est hoc. Anima est pretiosior corpore, & semper est preferenda, sed legalis censura est medicina Animæ, & curat Animam, sic & scientia legalis, sed medicina curat quandoque corpus ægrotum, non semper, ergo scientia legalis est nobilior medicina, extendit deinde argumentum etiam ad Philosophiam, quia licet Philosophia naturalis tendat ad cognitionem rerum, & ad quandam felicitatem cognoscendi, non tamen tendit ad beatitudinem Animæ, ergo, &c. Ad hoc argumentum satisfaciendum primo concedendo majorem, Animam nempe esse pretiosorem corpore, sed minor negatur, nam si per scientiam, aut censuram legalem accipias Politicam, non est verum, quod sit medicina Animæ, quia ipsa non habet pro fine Animæ sanitatem, sed bonum commune, ponendo leges, quæ maxime faciunt

faciant ad boni communis ascensionem, & tutelam, imo scientia legalis, & ipsa etiam lex civilis impotens, atque inefficax est ad mores dirigendos, Suarez de Leg. lib. 3. cap. 11. num. 8. & quod Plato dixit lib. 6. de Leg. transf. med. Leges versari circa animum bonis moribus imbuendum, intelligendum est de iis moribus, qui conveniunt homini civili, & qui faciunt ad boni communis conservationem, non de iis, qui vere faciunt ad animæ beatitudinem. Quod si dicas hoc intelligi de scientia Legali Canonica, tunc ad utrumque sensum respondeo, quod hoc non verificatur de scientia Legali, sed de Lege, nam lex quidem, & maxime Canonica est medicina animæ; modo scientia Legalis à Lege, quantum differat offendimus. Anima autem virtutibus imbuitur, & sana efficitur exuperatis vitiis ex Philosophia morali, ex qua etiam docemur parere legibus, nam leges non instruunt homines ad omnes virtutes, sed ad aliquas, Moralis Philosophia ad omnes, unde videndum quam audacter Cassaneus extendat argumentum suum etiam ad Philosophiam, ridiculum enim est, aptare scientia legali, quam quid sit ipse non declarat, morum instructionem, & virtutum affectuonem, & eam adimere Philosophiæ morali, sed is ignarus forte erat eorum, quæ illa docet. sed ulterius cum argumentum procedere utranque possit (quod detur per nos) in scientia legali accepta pro Politica, seu scientia instruente hominem ad rectam legumulationem, quid hoc ad Iurisperitiam? quoniam pacto Iurisperitia, quæ non aliud est, ut toties dixi, nisi facultas quedam, qua juxta legem universalem dispositionem, particulares hominum actiones tueri apud Iudicem contendimus, est medicina animæ? quid Iurisperitia cum anima? ne per somnium quidem quicquam ad animæ salutem spectans habetur à Iurisperitia, sed Cassaneus, qui nescio quam bonus Logicus esset, terminos confundens, eorumque naturam ignorans, deducit quicquid vult ex præmissis, quod quam bene illi succedat, vident qui in logicalibus sunt magis versati, quam ipse sit.

26 Secundum argumentum est, illa scientia dicitur honorabilior altera, cujus subiectum est honorabilius, sed subiectum legis est Iustitia, & Iustitia est major omnium aliarum virtutum, ergo scientia legalis est nobilior artibus, & medicina, cujus argumenti majorem propositionem libenter admittimus, minorem non negamus, conclusio declaratione indiget, nam quæ est hæc scientia legalis? dummodo autem illam pro Iurisperitia non accipias, concedo totum argumentum. adverte tamen Cassaneus, te terminos etiam in hoc argumento confundere, nam quod in minori prædicatur de lege, in conclusione prædicatur de scientia legali, nullies autem dixi, legem esse diversum quid à scientia legali, utrum autem legalis scientia habeat pro subiecto Iustitiam, & quam Iustitiam prætermittit pronunc discutere, cum satis de hoc differerim superius.

27 Tertium argumentum, finis legalis scientiæ est conservare Rempublicam, sed ad hunc finem non tendunt artes, & medicina. sed jam ad hoc argumentum patet responsio, nam legalis scientia, quæ habet pro fine conservationem Reipublicæ non est Iurisperitia, & quod addit Cassaneus, civitatem non posse stare sine Iurisperito falsum est, nam civitas non potest stare sine lege, & sine Iudice, qui legis

vivæ locum tenet, sed Iudicem non esse de necessitate Iurisperitum jam probavi.

Quartum argumentum, illa scientia est nobilior, per quam humana vita melius disponitur, sed per censuram legalem melius disponitur humana vita, nam per leges homo homini prohibetur insidiari, &c. Ergo, Mi Cassaneus vide temet ipsum confundis dum leges, scientiam legalem, censuram legalem, Iurisperitiam, Iurisperitum, Politicam pro una eademque, re accipis, & ego iterumque iterumque monebo hæc inter se differre, ad argumentum igitur concedam majorem, & minorem non nego, nam censuram legalem pro legibus videris accipere, sed si inde inferre contendis, Iurisperitiam esse nobiliorē medicina, male audies apud Logicos, cum Iurisperitia non sit lex, nec scientia legalis eo modo, quo scientiam legalem in præmissis accepisti.

Quintum argumentum, illa scientia est nobilior altera, per quam homo fit magis obediens Deo, & magis ipsi Deo conjungitur, sed per legem nos efficitur virtuosus, iungimur Deo, & sumus filii ipsius Dei, &c. sed per medicinam in nihilo Deo attingimur, &c. igitur, &c. Videte Doctores mei, qui hæc argumenta in medium assertis, nisi antea in Logici tantisper vos exerceatis, ut saltem discatis terminorum varietatem in argumentis, difficile est vobis satisfacere. Dico tamen majorem continere falsitatem, quia nequaquam verum est, quod per scientiam legalem fiamus Deo obediētes, sed per leges, ut in minori, at per leges non magis fit obediens Deo, nec magis ipsi Deo conjungitur Iurisperitus, quam quisvis alius homo, sed vellem vos conclusionem per extensum deduxisse, sic ergo Iurisperitia est nobilior medicina, nam tunc etiam concessa majori, & minori, negabimus consequentiam, ob termini varietatem in præmissis, & conclusione.

Sextum argumentum, Lex est humanarum rerum, & divinarum cognitio, & medicina est tantum cognitio rerum naturalium, & humanarum, ergo excellentior est legalis scientia. Alias dixi legem non esse cognitionem ullius rei, sed esse opus quoddam scientificum; oportebat ergo dicere, quod scientia legalis est humanarum, & divinarum rerum cognitio, quod nullo modo est verum, sed transeat, ad conclusionem dico non esse bonam, si de Iurisperitia intelligatur, si de Politica dicatur, transeat, ne morosus videar.

Septimum argumentum, Lex est donum Dei, & medicina est inventa ab homine, ex quo sequitur quod magis est honorandus Legista, quam Medicus. discant Logici hanc argumentandi formam. Respondeo concedendo primam antecedentem partem, negando secundam, vel si mavis concedendo totum antecedens, & negando quod inde sequitur, nam termini variantur, cum si lex est donum Dei, non sequatur Iustitiam esse Dei donum, ergo non potes à lege transferre argumentum ad Legistam.

Octavum argumentum, Medici non sunt majoris valoris, quam Obstetrices ex Glof. in cap. non sane 14. q. 5. verbo Medicus. quid ergo hinc colligitis vos Doctores mei honorandi? credo responuros, quod cum Legista sit magni valoris debeat præcedere Medicum, sed hoc non procedit, nisi antea probetis Legistam esse majoris valoris, quam sit Medicus, nam potest Legista, si Medicus non est majoris

ris valoris quam Obstetrix, esse etiam minoris valoris, & sic non præcedit Medicum. hoc tamen dictum ex vestra Glossa probatis, quod quam æquum sit, vos qui Iustitiæ moderatores vosmetipsos facitis, videte.

33 Nonum argumentum. Faciliori modo acquiritur scientia Legalis, quam artis, aut Medicinæ, ergo videtur dignior. sed nunc de modis, ac methodis doctrinarum vobiscum disputare non vacat. si ex eo tamen quod faciliori modo acquiritur scientia Legalis, quam pro Iurisperitia accipitis, vultis esse superiorem Medicinæ, & Philosophiæ, quæ demonstratione habentur, jam complures artes erunt nobiliores Iurisperitia, quia faciliori modo traduntur. sed advertite, modum, per quem habetur Iurisperitia, esse per regulas quasdam, & canones ab ipsa lege traditas, qui habitus peritia dicitur non scientia apud eos, qui scientiam à peritia distinguere norant. modo tantum eminet modus acquirendi medicinam à modo acquirendi Iurisperitiam, quantum eminet habitus scientiæ habitus peritiæ.

34 Decimum argumentum. illa scientia est alia excellentior, cujus finis excellentiorem producit effectum, sed peritus in censura legali efficitur parens Imperatoris, & alii plures effectus emanant à scientia legali in legisperitos, qui nequaquam emanant à medicina in Medicos. ergo. Si inter ea, quæ per accidens, & ea, quæ ex rei natura sunt, ullam novitiam ponere differentiam Doctores mei Barbatia, Cassanæ, & Tiraquellæ, videretis argumenti vestri energiam, sed apud vos forte non distinguitur id, quod per accidens est, ab eo quod est ex rei natura; hoc respondeo, dato quod cum esse illi illico atque Iurisperitiæ doctoratum assequimini Parentes, imo Proavi Imperatoris evaderetis. sed nunc ex hoc, Deus bone, quod Imperator Vlpianum vocaverit parentem suum, id deduci vultis, quod omnes Doctores legum sint Imperatoris parentes? si his argumentis nobiscum Iurisperiti pugnatis, absque dubio nos conficitis.

Vndecimum argumentum. illa scientia est nobilior, cujus splendore illuminatur universus orbis; sed per scientiam legalem illuminatur mundus. ergo. Sed quæ est ista illuminatio mundi, quæ procedit à legisperitiâ? nisi clarioribus terminis utamini, ego quidem quid respondeam non habeo. illuminari mundum dixerim aliqua scientia præ qualibet alia per quam aut veritas, aut felicitas acquiri eommuniter potest, sed hæc scientia, legalis scientia non est, & multo minus Iurisperitiâ, per quam neque ullam rerum veritatem, neque ullam felicitatem mundus adipiscitur.

36 Duodecimum argumentum. Legalis scientia prodest universis, quia bonos invitat ad præmium, & malos prohibet à malo, sed medicina non prodest nisi ægrotis, ergo melior, & honorabilior est scientia legalis. Ego jam probavi Iustum non indigere lege scripta saltem, & sanos indigere medicina. nunc responde mihi Barbatia, sive Cassanæ, quomodo sanus vivis? nonne hoc, aut illo modo vivendo, hæc omittendo, illa exequendo? at hoc est medicina egere. num caput concutis? num id infirmis? fac quæ omittere soles, omitte quæ facis, ambula sub sole, relinque omnino exercitium omne, implete quantum potes cibus, & potibus, vel si mavis vere Medico non indigere, decem totos dies à cibus abstine, tum experieris an medicina egeas, etiam si sanus sis, nec ne. At quod Christus

Domini dixit non egere sanos Medico, de Medico curante intelligendum, non de præservante, ut ex Divo Thoma alias dixi. Sed quid tu tam prompte pronuntias Iurisperitiam cunctis professe, medicinam perpaucis? cur antequam id pronuntiares, non considerasti hominem antequam sit, postquam est conceptus, illico atque est in lucem editus, dum vivit, & post mortem quoque medicina egere? num ignoras plura medicinam machinari, ut homo concipiatur, ut conceptus in utero augetur, ut auctus in lucem exeat, ut editus in lucem longo tempore sanus vivat, ut vita fructus saltem ejus reliquæ diutissime à corruptione immunes ferventur? quodnam genus hominum, quam ætatem, in qua regione, quo tempore observasti medicinæ ope interdum, imo semper non juvari? sed id ingenue mihi fatearis necesse est, quod quomam genus hominum alterius non indiget, Medicorumne, an Iurisperitorum? an me, hoc calore animum inducis? ego tibi id igitur patefaciam. Medicus Iurisperito raro, & solum ut civilis homo, Iurisperitus Medico indiget ut homo, ut civilis homo, & ut Iurisperitus; nam quoties in Iudiciis exercendis Medici opera uti vestra ipsæ leges coguntur, & cum ipsis vos ipsi? hoc manifeste ipso facto patet, & notat ex Medicis Langius lib. 3. Epistol. 6. Codronch. in præfat. method. sessif. Fortun. Fidel. in princ. Relat. Medic. Roderic. à Cast. in Medic. Poln. lib. 1. cap. 12. Canonher. in proleg. ad Hipp. Aphor. pag. 10. & ex Iureconf. Carrarius de Med. & ejus officio in præf.

Decimumtertium argumentum. Sacerdotes præferuntur Laicis, sed Doctores legum dicuntur Sacerdotes, ergo Doctores legum præferuntur Doctoribus artium, & Medicinæ. Saltem probabiles primo, Cassanæ, Medicos non esse Sacerdotes, aut non dici Sacerdotes, nam ego apud Ægyptios invenio Medicos fuisse Sacerdotes, de qua re meminuit ex Medicis Langius lib. 2. Epistol. 3. & ex Iureconsultis Tiraquell. de nob. cap. 31. num. 292. sed libenter concedam Medicos non esse Sacerdotes, dum neque Iureconsultos esse, sed tantum dici Sacerdotes affirmes.

37 Decimumquartum argumentum. Doctores Iuris stant sicut Iydis in caelo, ergo præferuntur Medicis. ego autem Iydera pluries contemplantur nullum eorum Legumperitum invenio, ergo Iurista non præferuntur Medicis; imo inter Iydera caeli connumeratur Esculapius & Chiron, qui fuerunt Medici, neque ibi connumerari reperies ullum Legumperitum. Astræam certe, nempe Iustitiam ibi invenies ob id, quod nobiscum stare noluerit, sed ad caelum aufugerit mortales relinquens; juxta illud Ovidii Metamorph. 1.

Vista jacet pietas, & virgo caede madentes
Plima caelestium terræ Africæ reliquit.

Decimumquintum argumentum. Omnes aliæ artes per textum in Proem. ff. §. duab. verb. quibus sunt vilissimæ habito respectu ad scientiam Legalem, ex quo sequitur, quod habito respectu ad Doctores Iuris, Doctores artium, & Medicinæ succumbant. Huic textui dicit Barbatia, quod mundus respondere non posset, ego autem invenio hominem, qui respondere potest, dicitque textum non probare, quod supponit, ergo conclusio est fallax, & recte addentes ad Barbatiam, qui fallaciam argumenti viderunt, dixerunt hoc argumentum esse ab auctoritate Iurisconsulti, quod nullum est secundum Philosophum, & veritatem.

Deci-

Decimumsextum argumentum. Facultas legalis dicitur esse Theaurus; hinc doctor Iuris antecedere debet. & ego concessio quod facultas Legalis non solum dicitur, sed sit Theaurus, dico multo majorem Theaurum esse medicinam, per quam alii Theauri acquiruntur, & maxime Theaurus sanitatis, sine quo Theaurus facultatis legalis acquiri non potest, est ergo medicina, quia major Theaurus, facultati legali anteponenda.

41 Decimumseptimum argumentum. Doctoratus medicinæ conceditur Iudæis, qui tamen non possunt assumi ad Doctoratum Iuris, unde infert quod Doctoratus medicinæ non sit dignitas, debet ergo præferri Iurisconsultus Medico, qui est in dignitate. respondendum, Iudæos vivere sub alieno dominio, nec posse ex se judicia exercere, ideo ad Iurisperitiæ doctoratum non assumuntur; admittuntur autem ad Doctoratum medicinæ, quam tamen non nisi inter se, aut alios Infideles exercere possunt, hoc quidem illis à Summis Pontificibus, & Imperatoribus an jure concedatur, videat Cassanæ. Certum est Iudæos Pontifices & Imperatores non concedere non concedenda, alias aut iniusti, aut ignorantes erunt per ipsam Cassanæ, qui dicit concedi ab ipsis quia Doctoratus medicinæ non est dignitas; at hoc in idem recidit, quia idem, qui concedunt Doctoratus dignitatem Iurisconsultis, concedunt & Medicis.

42 Decimumoctavum argumentum est ab ordine litterarum, quod est validum in Iure, sed ex ordine litterarum Notarius præferitur Medico. l. fin. in princ. comm. de leg. ergo multo fortius Iurista præferitur Medico. si vero alibi Medicus præferatur Iurista, ut multis in locis citatis ibi per Cassanæ arg. seq. respondens litteram esse præpõsteratam, & hac responsione sibi victoriam addicunt. nos autem hæc responsione non dignamur, quemadmodum neque

Decimumnonum argumentum, quod eandem vim desumit ab ordine litterarum, quia in rubr. cap. de Professoribus & Medicis, Professor Iuris Medico præferatur, quæ omnia tam inania sunt apud nos, qui argumentorum vigorem multo melius, quam Cassanæ cognoscimus, ut risu excipenda videantur.

44 Vigefimum argumentum. Subrogatum sapit naturam illius, in cuius locum subrogatur, sed Doctores Legum subrogantur loco Dei, ergo præferuntur Medicis. Hujus argumenti major per nos transeat, & ad minorem respondeo distinguendo. Doctores Legum subrogari loco Dei ut tales, negatur, sub-

rogari ex eo quod majoribus potentatibus sic libet, concedo. nam & loco Dei subrogantur etiam qui non sunt Doctores Legum, imo præcipui magistratus, ut Proreges, Prætores, Legati, Præsides provinciarum, & alii non sunt de necessitate, sed per accidens tantum aliquando Doctores Legum. dixi autem alias necesse fuisse in hominum communitate præter Legem quoquomodo latam dari Legem vivam, quæ ad mutæ Legis observantiam homines cogeret, alias inanis omnino erat legumlatio. modo lex viva non potest ad omnia sufficere, ergo oportet illam alios homines facere suæ potestatis participes, & in sui locum ad particularia iudicia exercenda subrogare. sæpe autem subrogantur, sed non semper Doctores Legum, ex eo quod majorem habeant legum cognitionem, & tamen in iis, quæ ad alios professores pertinent subrogantur etiam alii professores, etiam si non sint Doctores Legum, ut in iis, quæ spectant ad Medicos subrogantur ab illa lege viva ad iudicandum ipsi Medici; quin etiam in vilioribus artibus, ac mechanicis, ut in fabrilis, ipsi fabri subrogantur, in carpentaria Carpentarii, & sic de singulis. Itaque ad minorem dico, quod si eam ita accipias, ut velis solos Doctores Legum subrogari loco Dei, absolute nego, si non solos concedo, conclusio ergo non bene procedit, quia hic terminus subrogari loco Dei etiam aliis hominibus, & professoribus communis est. Adde aliam responsionem concedendo totum Argumentum, ac dicendo, quod habeat veritatem in iis Doctoribus Legum, qui actu loco Dei subrogantur, at non probat procedere in illis, qui non actu subrogantur. jam enim dixi, Iudices, omnesque qui Iustitiam administrant iudicando esse loco Legis vivæ præ cæteris omnibus honorandos, ergo subrogatio loco Dei in causa est, ut honorentur homines, non ergo Iureconsultus tuus, ut Iureconsultus, sed ut loco Dei subrogatus est honorandus.

Denique argumenta, quæ pro nobis non advocati in medium afferunt quidam Iureconsulti, omnia respicimus, habemus enim nos multo potiora, ut ex supra scriptis deducere licet. atque hæc sunt quæ pro rei veritate in Medicorum tutelam afferre placuit, is autem de hac controversia iudicium ferat, qui omni pathemate nudatus nostræ argumentationis, allatarumque rationum vim, atque energiam ponderare noverit, & qui omni animi affectu deposito Legem à Politica, Politicam à Iurisperitiâ, Iudicem, seu Legem vivam à Legumperito, & Legumperitum à Politico fecernere facile noverit.

Tituli Primi Finis.